

quam Deus non immitit nobis nisi prius nos disponamus. Hanc tamen dispositionem ex Deo esse non negat Chrysostomus.

XXIII. Ad secundam confirmationem respondetur quod attinet ad testimonium Bernardi esse planum sensum, quod Deus prævidet futuram superbiam si non subtrahat gratiam, non quia ipse decernat dare, aut causare superbiam, sed quia decernit si daret talem gratiam, permissurum ut caderet in superbiam, et in hoc decreto permittendi, id videt, sicut de aliis peccatis dicendum est. Ad locum Augustini ex libro de bono perseverantiæ cum aliis auctoritatibus D. Thomæ respondetur Deum ex his quos præscit credituros (non quidem per scientiam mediam et ante omne decretum, sed per scientiam liberam, et fundatam in decreto actuali ex parte Dei, et conditionato ex parte objecti) eligere aliquos et alios non electione facta per decretum omnino absolutum, etiam ex parte objecti. Unde solum sequitur, quod prædestinatio, et decretum absolutum præsupponat præscientiam conditionatorum, sed quod præsupponat scientiam illam sine omni decreto Dei etiam conditionato ex parte objecti, hoc nec dicit Augustinus nec D. Thomas. Sed potius juxta ipsos nos dicimus, quod etiam respectu conditionatorum datur decretum, et sic decretum omnino absolutum supponit decretum conditionatum ex parte objecti, licet actu habitum in Deo. Et hoc etiam modo intelligitur distinctio prophetiæ prædestinationis, et præscientiæ, quod illa dicitur prædestinationis, quæ est de re absolute futura, præscientia vero de re conditionata, sed ex decreto Dei ex parte objecti conditionato. Ad locum autem D. Augustini ex libro ad Simplicium respondetur illud

verbum: Si vellet, et posset vocare, etc. omnino verum esse etiam abstractando ab omni futuritione determinata, quia illa veritas est conditionalis necessaria, solum enim loquitur de possibili, dicendo: Posset vocare, etc. Si vero sumatur conditionalis aliqua secundum determinatam futuritionem, omnino debet supponere decretum eam determinans, quo non solum vellet, sed etiam velit, ut res tali modo disponatur.

XXIV. Denique, pro omnibus aliis auctoritatibus quæ adduci possunt, et minorem habent difficultatem (supponimus enim quidquid Deus scit de mediis, et occasionibus futuris ante absolutam prædestinationem, scire per decretum conditionatum ex parte objecti) observanda est regula illa Augustini libro de bono perseverantiæ, capite xviii: « Quid nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, et agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? » Igitur nullam præscientiam sine prædestinatione, seu decreto intelligo, sive sine conditionato decreto permissivo, vel positivo ex parte objecti, si fuerit præscientia conditionatorum, sive sine decreto, et prædestinatione absoluta, si fuerit præscientia absoluta, et sic solves omnes auctoritates in contrarium.

AD ARGUMENTA EX RATIONE.

XXV. Primo, arguitur ratione, quia Deus plura futura conditionata scilicet peccata cognoscit non minus quam bona, sed non potest peccata cognoscere in decreto aliquo, ergo sine decreto sunt cognoscibilia aliqua futura, et idem erit de omnibus, sufficit tamen ad ponendam scientiam mediam, quod aliqua co-

gnoscantur sine decreto. Major negari non potest, cum in Scriptura tradantur multa peccata prævisa sub conditione, ut Isai. i: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et tamen de facto non fuerunt illi sicut Sodoma, sed forent.* Et idem est de traditione David a Ceilitis, quam Deus sub conditione futuram prævidit, et tamen non sine peccato fieret ab ipsis contra jus, et gratitudinem. Minor vero probatur, quia Deus non habet decretum de ipsis peccatis, alias esset illorum causa, ergo sine decreto cognoscit illa esse futura. Nec valet dicere quod cognoscit ea in decreto permissivo malitiæ, aut etiam in decreto prædeterminandi ad materiale peccati. Utrumque est insufficiens, nam vel positio talium decretorum habet infallibilem, et certam consecutionem peccati, illis positis, aut non habet. Si non habet, neque illis positis, certo cognoscetur peccatum in ratione defectus et malitiæ ex vi talium decretorum, si quidem connexionem non habent cum malitia, et sic indigebit Deus alio medio uti ad videndum malitiam peccati extra decreta sua, et hoc est habere scientiam mediam, id est, infallibilem cognitionem futuritionis non innexam decreto. Si autem habent infallibilem connexionem: ergo illis positis infallibile est, quod sequetur malitia, quid ergo deest ut sint causa peccati etiam quoad formale, et quoad malitiam? Quid enim magis est causa quam id ad cujus positionem infallibiliter sequitur malitia, præsertim quando malitia est intrinsece annexa ipsi actui peccati, ut in odio Dei, nec enim separabilis est malitia ab ipsa differentia specifica talis actus. Ergo si Deus prædeterminat ad illud materiale, cui inseparabilis, et essentialis est malitia peccati, non minus est causa ejus,

quam voluntas creata, quia hæc non aliter causat malitiam, quam causando actum, ut actus est, et pro ea parte qua dicit tendentiam positivam ad bonum sibi conveniens, unde nata est resultare malitia. Nec aliter posuit Calvinus Deum esse causam peccati quam quia Deus erat causa actus cui conjungitur malitia, nec dixit Deum esse causam malitiæ formaliter, ut malitia est, imo hoc sibi imponi, et in hoc se gravari conqueritur in antidoto Concilii Tridentini. Nec aliter dicebat ipse Deum præscire quid facturi sint homines, nisi quia decreto suo id sancit Deus, ut refert Franciscus Vulcanius episcopus Metensis in opusculo contra dogmata Calvini anno 1557, et refert Herice, hic disputatione vii, cap. vii, quod decretum ipsemet Calvinus horribile vocat, licet inficiari non possit, ut refert Becanus tomo primo, opusculo iii, capite i.

XXVI. Confirmatur, quia illud decretum sic antecedens ut Deus prævidat consensuram voluntatem, vel infert necessariam conjunctionem cum ipso consensu, ita ut in sensu composito non stet poni illud decretum quin ponatur consensus, vel non. Si non infert, ergo insufficiens est illud decretum ad ostendenda infallibiliter illa futura, si quidem potest stare decretum; et non sequi futurum, caret enim infallibili connexionem cum illo. Si necessario infert, ergo necessitat et tollit libertatem, quia est positio antecedens, quam non est in manu mea tollere, nec ponere, et illo posito non est possibile ponere seu componere negationem consensus cum illo, ergo sicut necessario est inferens consensum, ita est necessitans ad illum.

XXVII. Respondetur negando minorem argumenti principalis. Ad probationem respondetur, non vide-

re Deum peccata in decreto positivo circa illa, sed in decreto permissivo seu quoad materiale peccati ut entitas est in prædeterminativo, quæ decreta dari latius probamus infra circa quæstionem XIX, et supra ea tetigimus agendo de cognitione futurorum absolutorum. Hæc enim argumenta non fiunt specialiter circa scientiam mediam, sed æque currunt contra absolutam. Respondemus ergo ad replicam quod positio decreti permissivi ut permissivum est habet infallibilem connexionem cum peccato ex parte defectus, et positio decreti concurrenti ad entitatem peccati ut entitas positiva est, habet infallibilem connexionem cum entitate peccati ut præcise entitas est, non ut defectus est, licet iste defectus sequatur ad illam entitatem, et specificam differentiam ejus, non absolute, sed ut est a causa secunda defectibili. Quare posita permissione, infallibile est quod sequetur privatio seu defectus peccati infallibilitate negativa, sicut posita suspensione influxus infallibile est, quod sequetur annihilatio creaturæ, permissio autem est suspensio influxus gratiæ seu collationis auxilii. Posita autem prædeterminatione seu decreto de entitate peccati quoad positivum, infallibile est quod sequetur non ipsum peccatum, sed id quod entitativum, et bonum est in peccato, hoc enim est a Deo. Et cum instatur quod huic essentialiter est annexa malitia ex ipsa specifica differentia talis actus ut in odio Dei, respondetur, quod huic est annexa essentialiter malitia, distinguo; huic actui a causa defectiva, et tamquam aliquid non causabile, sed deficiens a causatione, concedo; huic actui secundum entitatem suam absolute et ut effectibilis est, et a causa prima, nego: sicut operationi contingenti est annexa contingentia et fallibilitas ut est a

causis proximis, non ut est a causa prima. Et cum infertur quod Deus hoc modo prædeterminans non minus est causa malitiæ, quam voluntas, negatur consequentia, quia Deus est causa, et principium hujus actus secundum id præcise quod habet de bonitate et entitate, et ut causa prima et primum ens, sicque in effectu ita respicit pro ratione formali id quod entitatis est, et id quod effectibile, quod rationem defectibilis, et recessum ab entitate nullo modo respicit nec attingit, sed potius illi opponitur; respici autem potest a causa secunda quæ non est pure efficiens, nec purum ens et actus, sed ens efficiens, et sic est causa entitatis etiam ut defectibilis. Et defectus seu malitia causatur ab omni operante seu adjuvante illam entitatem actus ut causa secunda, non ab operante ut causa prima, sicut claudicatio non sequitur a principio vitæ ex parte animæ, sed ex organo male effecto, quod est tibia curva. Disparitas stat in hoc, quia peccatum aliquid entitatis debet habere ne detur purum malum, quia si esset purum malum, destrueret se. Unde causa prima quæ solum causat ens sub ratione effectibilis ex bonitate sua habet derivare entitatem peccati, non quatenus habet annexum defectum, sed quatenus habet proponi malo, et detinere ne sit purum malum, et ne corrumpat se ipsum: et sic non cooperatur, nec est causa defectus, sed est causa entitatis ut pure effectus, et ut detinens ne sit purum malum. At vero causa secunda non operatur, vel cooperatur illi entitati sub pura ratione entis sicut primum ens, sed ut ens defectibile, et ex nihilo factum, et sic causat deficienter, et non pure efficienter, inficitque entitatem actus, non pure perficit, nec detinet ne sit purum malum. Et argumentum factum si quid probat, etiam procedit

contra concursum Dei simultaneum in ipsum actum peccati, nam etiam est causa peccati, qui juvat et cooperatur ei, et tamen Deus quia solum concurrat sub ratione entis non cooperatur peccato, etiam si sit cooperans entitati peccati, ergo neque si sit præoperans sub eadem linea, et in ratione præcise entitatis. Concurrenere autem Deum ad illam entitatem actus nullus negare potest nisi negaverit illum actum habere esse creatum, et consequenter participatum a Deo, et ideo oppositum ejus censuratur a D. Thoma in II, dist. XXXVII, quæst. II, art. II, ut propinquissimum errori.

XXVIII. Quod attinet ad Calvinum, dicimus nimis stupide nobis objici, cum ejus doctrinæ nostra e diametro opponatur, ut infra articulo ultimo attingemus. Et quidquid sit, an ipse in antidoto Concilii excusare se velit, et se gravari causetur in hac parte, quod non est mirum ut est astutum, et fallax hæreticorum ingenium, ut non facile dignosci possit eorum sensus semper latebras quærentium, et occultationem veneni sui, ideoque non in catholicos plerumque rejiciunt aggravationis suæ causas, sicque non est eorum verbis, et excusationibus fidendum; tamen quod revera Calvinus posuerit decretum Dei non quomodocumque antecedens, sed necessitans voluntatem, nec prædeterminans servando libertatem ut dicunt Thomistæ, et aperiendo cor ut de Lydia purpuraria dicitur, Act. XVI, sed cogendo voluntatem, et claudendo ejus indifferentiam, dubitari non potest. Et hoc patet etiam ex eodem episcopo Metensi quem citat Hæricus eodem loco pag. 63, ubi inquit: « Inde manasse errorem Calvinum, quod falsum axioma sibi constituit, ut omnia fieri necessaria, contingenter nihil evenire confirmet, Deum scilicet non alia ratione qua futura

sunt prævidisse, nisi quia ita ut fieret, (scilicet necessario) decrevit. » Et ipse p. Becanus in illo loco citato, scilicet tom. I, opusc. III, c. I, refert Calvinum dixisse: « Quod Deus per se occulta quadam vi incitat, movet, necessitat miseros mortales ad omnia flagitiorum genera perpetranda. » Quod etiam secutus fuit Beza insignis Calvinum discipulus in summa christianissimi pag. 188, ubi inquit: « Omnia necessario ex Dei immutabili decreto evenire, et secundum illum Judas necessario prodidit Christum, et Pilatus et Herodes necessario condemnarunt. » Et sic verum est, quod isti hæretici non dicunt hominem impelli, et determinari ad peccatum ex parte privationis, et malitiæ, sed ex parte ipsius actus, quia negant dari privationem illam, et malitiam, ponendo quod omnia eveniunt necessario.

XXIX. Quapropter doctrina istorum hæreticorum nulli magis e diametro opponitur quam Thomistica, ut latius articulo ultimo ostendemus. Nam Calvinus, et Beza docent decretum Dei antecedens necessitare voluntatem, nec posse tale decretum poni necessitando. Thomistæ dicunt dari decretum antecedens non necessitans, eo quod Deus non decernit quomodocumque fieri actum, sed fieri libere, et contingenter, ita quod supra ipsam contingentiam et libertatem fertur, eamque causat in se immutabile existens, quæ est expressa doctrina S. Thomæ III contra gent. cap. xciv, circa finem, ubi inquit: « Ex quo patet, quod hæc conditionalis non est vera, si Deus prævidit hoc futurum, hoc erit, sicut secunda ratio procedebat, sed sic erit sicut Deus providit illud esse futurum, providit autem quod illud esset futurum contingenter, sequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter, non neces-

sario. » Hæc est doctrina S. Thomæ et conformis doctrinæ Anselmi in concordia, ut postea dicemus, quæ si fuisset attente considerata, quasi nebulam dissolvisset plura sophismata quæ moleste in hac parte multiplicantur. Videat ergo et iudicet lector, quis magis opponitur Calvino, ut cognoscat quam incongrue, et falso suggillantur Thomistæ de Calviniano decreto. Calvinus dicit, decretum Dei absolute antecedens necessitat, et cogit voluntatem: Thomistæ dicunt decretum Dei absolute antecedens non tollit libertatem, sed causat, perficit, et conservat. Defensores scientiæ mediæ dicunt, non datur decretum Dei absolute antecedens, et prædefiniens, quod si daretur tolleretur libertatem. Quis horum videtur magis opponi Calvino?

XXX. Ad confirmationem fere ex dictis manet responsum, abundantius autem respondebitur tractando de his decretis efficacibus circa quæstionem XIX. Negamus decretum hoc antecedens inferre necessariam consequentiam cum consensu nostro præcise quoad substantiam et determinationem, sed etiam cum ejus libertate, ut dudum ex D. Thoma dicebamus. Itaque est infallibilis consequentia quod si Deus decrevit, et determinavit consensum meum, et libertatem ejus, quod erit consensus ut liber, non quod erit absolute et præcise, sed cum modo libertatis, quia hic etiam prædefinitur. Et ad probationem de suppositione antecedente respondetur non omnem suppositionem antecedentem etiam infallibilem in se destruere libertatem, ut amplius articulo ultimo dicemus, nisi etiam sit suppositio necessitans. Neque unquam Anselmus dixit suppositionem antecedentem tollere libertatem, sed necessitatem antecedentem, quod longe diversum est: sup-

positio enim antecedens potest dari quæ sit causa libertatis, nempe decretum et causalitas Dei est radix substantiæ actus, et libertatis ejus, et ita pro termino et effectu habet actum ut liberum, quia videlicet etiam libertatis causa est propter suam universalissimam causalitatem qua operatur omnia, unde solum infert necessitatem consequentiæ ex eo, quia talis suppositio infallibilis est in se, non tamen importat necessitatem antecedentem, quia non causat eam, sed libertatem, modo tamen immutabili, et infallibili ex parte Dei.

XXXI. Ad aliam replicam quia non est in manu libertatis ponere, vel tollere talem antecedentem suppositionem, et determinationem, neque cum ea conjungere negationem consensus, distinguo: non est in manu libertatis talem ponere, vel tollere prædefinitionem potestate consequenti (id est, quæ habeat consecutum et conjunctum actum tollendi) concedo; potestate antecedenti, quæ talem actum non habet, nego, potest enim de se voluntas aliud velle, et habere determinationem ad aliud, et hanc potentiam non tollit, sed conservat prædefinitio, licet de facto solum ordinet ad actum unum et determinatum. Vel secundo, et in idem recidit. Non est in manu mea illa prædefinitio tamquam effectus procedens a libertate mea, concedo; tamquam causa libertatis meæ, nego; non enim illa prædefinitio procedit a mea libertate, vel dirigitur a me, sed tamen illa est causa meæ libertatis; sufficit autem quod ut aliquid dicatur ad meam libertatem pertinere, vel esse in mea potestate, quod vel sit effectus libertatis, vel libertas sit effectus illius, et ita est perinde atque esse in mea potestate, quia est causa ut actus seu effectus faciendus in mea potestate sit.

XXXII. Et hinc solvuntur alia argumenta, quæ contra istud decretum formari possunt, nec majorem vim habent, quam hoc quod sit contra libertatem, inde enim pendent, v. g. quia si ponatur mihi præceptum, vel ego faciam votum, non inducit obligationem nisi sub hypothesis, quod detur mihi illa prædeterminatione et auxilium efficax sine quo nunquam implebo illud, ergo si non detur mihi de facto illud auxilium efficax, et illa prædefinitio, non obligor ad implendum illud præceptum seu votum, quia deficit conditio sub qua teneor, nec enim possum me obligare ad implendum tale votum nisi assistente mihi auxilio efficaci, eo ergo remoto non currit obligatio, ergo nec pecco contra votum. Futile sophisma. Nullus obligat se, nisi stulte, sub conditione si Deus concurrat vel concursu simultaneo, vel prædeterminativo, quoad hoc enim idem est, cum prædeterminatio solum sit applicativa ad operandum in exercitio, non ut potens sit operari, nec datur ad obligandum, sed ad implendam obligationem, obligatio enim fundatur in posse, non in ipso facere. Si ergo sic vellet quis se obligare, solum vellet se obligare quando de facto operaretur, quod esset ridicula obligatio, scilicet voveo me hoc operari, quando operabor, quando Deus concurrerit, quando Deus de facto applicaverit, me prædeterminaverit, in eo enim stat prædeterminatio, in applicatione de facto. Non ergo sub istis conditionibus fit votum (nisi ridicule) aut resultat obligatio ejus, licet sine istis non fiat adimpletio ejus, sed ad obligationem sufficit quod habeat potentiam, et sub conditione si habuerit potentiam se obligat; hanc autem habet per auxilium sufficiens antecedenter ad efficacem, et ad prædeterminationem, per quam

solum habet impletionem, et executionem de facto, non obligationem, quæ impletionem antecedit. Sine auxilio autem efficaci, et sine prædefinitione potest homo potentia antecedenti facere, licet non potentia subsequenti; ad obligationem autem sufficit potentia antecedens, non requiritur consequens.

XXXIII. Tertio, arguitur: Deus independenter ab omni decreto cognoscit veritates conditionatas liberas mediante prædeterminatione physica exercendas, ergo si ponitur prædeterminatio physica, non requiritur decretum ad ea conditionata cognoscenda. Antecedens probatur. Hæc veritas si Deus daret prædeterminationem physicam Judæ converteretur, est veritas contigens, et conditionata, et cognoscitur independenter ab omni decreto, ergo. Quod sit contingens negari non potest, quia conversio illa est libera etiam supposita prædeterminatione, alias si non esset, prædeterminatio necessitaret. Quod sit conditionata de se patet, non enim effectus est absolute existens, sed ab aliqua conditione dependens. Quod independenter se habeat a decreto libero, patet, quia essentialiter est connexum, et inseparabile consequens ab antecedente, non enim stat poni prædeterminationem, quin sequatur consequens, ergo hæc veritas est independens ab omni decreto, si quidem ex ipsa natura terminorum prædeterminatio habet essentialem connexionem cum consensus, nec contradictorium unquam verificari potest, scilicet quod sit prædeterminatio, et non sit consensus, ergo ante omne decretum vera est illa propositio, ergo cognita a Deo. Quod si datur, cognosci quidem ante decretum, sed per scientiam mere naturalem attingentem essentialia prædicata prædeterminationis, non exercitium futuritionis, contra est, quia